





DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> IURIDICA  
DE  
EO QUOD IUSTUM  
EST CIRCA  
**LEGATUM PECUNIÆ**  
VALORE MONETÆ POST TESTAMEN-  
TUM CONDITUM MUTATO  
QUAM  
PRO  
SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS  
CONSEQUENDIS  
ILLUSTRI IURECONSULTORUM HELM-  
STADIENSIVM ORDINI  
HUMANISSIME OFFERT  
**TIM. ERNEST. LUD. ORLICH.**  
POTENTISSIMI BORUSSIAE REGIS SECRETARIU<sup>S</sup>  
INTIMUS.

---

HAMBURGI  
EX OFFICINA HARMSENII.

DIESE FRIEDLICHIA

DE GODE INSTUM

ERGEG

THEATRUM PECUNIÆ

AKROBE MONTÆ POST TETRAGRAMMEN

AKROBE COMPTONUM TETR

GR

GR

CHIMÆ ET EPISTOLÆ INTE MONORIAS

CONFRONTRINIS

INTUSSTRÆ UT EGO NESTI TOTRI M. HESW.

INTUSSTRÆ UT EGO NESTI TOTRI M. HESW.

HAMMERSAM OUTTR

M. ERNST LUD. ORTICH

AKROBE MONTÆ POST TETRAGRAMMEN

AKROBE

HAMMERSAM

EX OFFICINA HAMMERSAMI



§. I.

**N**emini sane mirum videri debet, qui scit, quanta in nostris diebus rei nummariae facta sit immutatio, non paucas ea propter in foro lites agitari. Quem enim fugit, non solum in dissoluendo aere alieno, sed quam saepissime quoque in exsoluendis legatis multam quaestione mōveri, quo numismatis genere summa debita aut legata sit exsoluenda? Tot enim ac tam diuersis nostra Germania premitur monetis, ut vix dici queat: Quarum, licet ad idem quidem pretium externum sint excusae, verus tamen ac internus valor ad dimidium immo dimidio pluris differt. Quid igitur in causis controuerfis maximisque difficultatibus obuolutis, numne eae ex sola aequitate et arbitrio iudicis sint diiudicandae? id quod mihi non videtur: namque iudex in pronunciando legem attendere, nec sibi aequitatem aliquam fingere, aut mitior esse deber, sed facta sollicite examinare, ut omnia plane fiant ad mentem legislatoris. Quod si autem lex de negotio non disponit, tunc iudex, ratione legis et aequitatis habita, factum

## IV

controuersum diiudicare, immo quoque pro diuersitate rerum hanc illi praeferre potest. Caevant igitur iustitiae amantes, aequitati vero nimis iudgentes, ne iniuriae inde nascantur vnde iura debeat oriri. Id quod obseruauit in perscrutandis casibus, qui mihi occasionem ad scribendum obtulerunt. Haud iniucundum nec inutile fore putauit, si materiam de legatis pecuniae, cuius enodatio vltiori cura dilucidanda, eo vtilior mihi est visa, quo certius est, eam multis obstrictam esse difficultatibus, si hancce materiam paulo penitus examinem. Verum enim vero inflitti mei rationi plane consentaneum non esse videtur, totum huius materiae ambitum exhaurire; sufficiat quosdam afferre casus difficiliores et saepius in controuersiam vocatos, eosque secundum legum rationem ac aequitatem decisos tradere.

## §. II.

Antequam vero manum rei admouemus, ad definitionem legati inuestigandam admittamus. Variant DD. in definiendo legato, immo non desunt, qui hoc cum mortis causa donatione confundunt, atque ideo hoc omni cura ac diligentia amplectamur, necesse erit. Quidam definitionem legalem seruant; alii vero cum JAUOLENO a) omnem definitionem in iure ciuili periculosam esse dicunt, eamque ob causam loco ipsius doctrinalem substituunt. Absque omni tamen metu periculi definitionem meam ex §. 1. J. de legat; in lucem profero. LEGATUM, ibi dicitur, est donatio quaedam, a defuncto absenti aut cerre ignorantia relieta, ab herede praestanda. Quae definirio recte intellecta, satis credo patefaciet naturam legatorum. Quocirca vide-

videbimus, utrum planum facere queamus, singulas, eam suo ambitu partes, ad constitendum legatum necessarias, nec plures nec pauciores complecti.

a) Vid. L. 202. D. de Reg. Jur.

### §. III.

Considerabimus ergo definitionis verba, ut omnium obtutui sistam, quam satis luculenter naturae legari explicandae, singula inseruiunt. Ad definitionem igitur reuertamur, ibique primum locum occupat uerbum DONATIO, quae in genere est: actus liberalitatis, traditione scilicet facta, alias autem: Pactum legitimum, per L. 35. §. 5. C. de donat. confirmatum, quo res in alterum acceptantem, nullo iure cogente, transfertur. a). Quis hic non intelligit, legato, quod ex mera proficiscitur liberalitate, nomen donationis recte attribui posse? b) Huc accedit, quod etiam vii et donatio merum continet lucrum, legatum, in quo potissimum discrimen inter hereditatem et legatum positum est. Heres enim titulo vniuersali in omnia defuncti iura succedit, quae aequa lucrum ac onus complectuntur c). Ut vero constet, hanc donationis speciem propriam atque ab aliis distinctam esse, particula QUÆDAM adiecta esse videtur. Donationis enim duæ existunt species, quarum prima est, donatio inter vivos, quae iam initio huius §. descripta, plane nihil commune habet cum legato, quare illam nunc iam dimittamus. In alteram vero, nempe donationem mortis causa, considerationem aliquam intendamus, necessarium duco, namque ad essentiam dum constituitur, ea

## VI

requirit, quae legatis p<sup>ro</sup>pria sunt. Illa vero est: promissio rei, cogitatione ac in euentum subsecuturae mortis verbis dispositiuis acceptanti facta, vim legati habens et prius non valitura, quam mors subsecuta sit d). Hinc hocce negotium mixtum esse per se iam patet. Pa<sup>c</sup>tis enim annumeratur quoniam non nisi praesenti et acceptanti fieri potest, absenti enim facta valet instar fideicommissi non vero mortis causa donationis e); quatenus autem ultimam continet voluntatem, per omnia legatis aequiparataam esse affirmat L. vlt. C. de donat. m. c. Quod autem substantiam et rem ipsam attinet, ea tamen adhuc hodie a legato differt et quidem: quod legatum solummodo ab unius nempe testatoris voluntate, donatio vero mortis causa a duorum voluntate, nimurum donantis et donatarii dependeat f). Inde m. c. donatio in ignorantem aut inuitum conferri nequit, cum e contrario legatum etiam ignorantis vtile sit. Ob hanc rationem definitioni verba: PRÆSENTI AUT CERTE IGNORANTI adieci. Sed ne nimis longam in eo quaerendo moram faciam, ad vltiora verba definitionis me conuertam. Quae sunt: A DEFUNCTO RELICTA, quae etiam defendere in animum induxi. Quid autem de his dicam, anne forsitan superflua? quod nunquam mihi persuadere possum. Causam sicut sunt principalem, vti per modo sequentia: AB HEREDE PRÆSTANDA, causa instrumentalis exprimitur. Per aditionem hereditatis enim inter heredem et legatarium quasi contrahitur g), quo ex quasi contractu oritur obligatio et actio, qua legarius ab herede, legati præstationem et in primis possessionis translationem petere potest; quia dominium recta via absque heredis facto in legatarium transit h.)

b) Arg.

a) Arg. L. 29. D. de donat. item L. 82. D. de Reg. Jur.

b) Id quod confirmat L. 18. D. de adimend. legat.

c) L. 119. D. de Verb. Signif.

d) L. 1. 29. 35 et 42. D. de m. c. donat. item L. fin. C. cod.

e) L. 75. pr. et 77. §. 26. D. de legat.

f) L. 10. D. de donat.

g) §. 5. J. de oblig. quae ex quasi contr.

h) L. 80. D. de legat. et L. 64. D. in fin. de furtis.

#### §. IV.

Hac definitione igitur firmata, quaedam adhuc de distinctione legati sunt monenda. Ut autem brevibus rem omnem comprehendam, non operose enarrabo, diuisiones antiquas legatorum, de quibus multa erudite differuerunt HEINECCIUS et SCHULTINGIUS aliique. Sed ut eo melius intelligamus quo nostrum legatum pecuniae ponendum sit, magis operaे premium erit expendere differentiam legati generis ac speciei. Genus dicimus quod plura individua continet. At, modo ex sua natura certam habet determinationem a); modo autem ex voluntate aut factō hominis dependet b). Species vero, JCtis nominari solet: res quae vnde suās determinatas habet notioes. His præmissis, haud difficile erit legatum generis descriptum vt producam, idque hoc modo: quando res, nullo individuo expresso legatur. v. g. ex fundis meis Caio vnum do, lego. Res autem ita testamento relicta, vt semper ab eiusmodi rebus distincte separari possit, legatum Speciei audit. Iam iam dixi, genus duplī modo determinari, inde quoque usum huius differentiae, e re mea erit, adhuc adiungere. Aut enim, species generi subiecta certam a natura determinationem habent,

## VIII

habent, legatum est seruandum, siue testator eiusmodi res reliquerit siue non c); aut, a natura certo non definitiuntur sed hominis destinatione et facto constant, nam et minima gleba fundi et utilissima materia, domus appellatione venire potest. Hoc legatum tum demum valet, si testator in bonis suis eiusmodi res reliquerit; alias non d). Sed hic merito inquirendum est, ad quod ex hisce legatis referamus legatum pecuniae. Nulli vero annumerari posse perspectum habemus, sed consistit in quantitate, quae est: genus numero definitum, indeque eius definitio ita erit facienda: *LEGATUM PECUNIAE EST: legatum quo testator post mortem suam, heredem suum, legatario pecuniam praestare, iubet.*

- a) L. 84. §. 3. de legat.
- b) L. 24. §. penult. D. de legat.
- c) L. 37. 108. D. de legat.
- d) L. 71. pr. D. de legat.

## §. V.

Missum nunc facimus legatum, namque in totum legatorum campum inquirere, tam instituti, quam speciminis inauguralis, certis terminis circumscripti, ratio non permittit. Quare de legato solum pecuniae acturi et quaestiones obuenientes examinaturi, primo omnium notionem pecuniae eruere nostrum erit. Quo autem rectius intelligatur haec pecuniae vocis origo, in primis est notandum: Antiquissimis temporibus Romani, ut etiam aliae gentes nulla usi sunt pecunia, sed merces aliasque res inter se comutarunt a). Postea vero rerum pretium

ex



## IX

ex solo rudis metalli pondere, aestimare coeperunt, et tunc  
demum aes signare edoſti, pecuniae vſum introducere coepe-  
runt, attamen tantum aeneae. Deinde A. V. C. 484 argentum  
primo signatum fuit b); aurum vero ſexaginta circiter annis  
ferius c). Romae Seruius Tullius, vt videtur, primus metallo  
certas quasdam pecudis notas imprimentas curavit d). Vnde  
apparet, pecuniam a figura animalium, aeri impressa, nomen  
acepiffe e). Postea quoque aliae gentes suis nummis figuram  
equi, ouis etc. incſculperunt. Cuiusmodi adhuc hodie extant.  
Poſſent haec de etymologia vocabuli ſufficere, et me ipſum  
quoque monere, vt ad dictam pecuniam definiendam pedem  
proferrem. Sed ne decipiamur ambiguo nominis ſono, ſicut  
multa nominis unius significata ut imponant, non eſt profeſto  
infrequens, ante omnia adhuc homonymia huius vocis expli-  
canda erit.

a) §. 2. J. de emt. vendit.

b) Epit. Liv. Lib. XV.

c) PLIN. hiſt. nat. XXXIII. 3.

d) OVID. Faſt. L. V. v. 281.

e) JOBERTUS in notitia rei numariae.

## §. VI.

Romanarum illud legum Corpus confluentibus eſt notiſſi-  
mum, pluribus modis pecuniam fuſſe diectam. In perquirendo  
igitur diuerſo huius vocis significatu iam verſabor, quippe cuius  
verbi triplex eſt potestas. Primo ſumitur in ſenſu generaliſſimo  
et tunc denotat omnia, quae in patrimonio ſunt et ad pecuniam  
reduci poſſunt. Id quod leges infra allegatae ſatis ſuperque  
affirmant a). Secundo huic ſubiicienda eſt significatio verbi  
pecuniae generalis, quae tantum ea comprehendit, quae po-  
ndere, numero et mensura conſtant, vt olim in actione de  
conſtituta pecunia b). Denique adhuc in ſenſu ſpeciali ſub voce  
pecuniae intelligitur, aes signatum c). Sufficiat, haec de vario  
B verbi

## X

verbi pecuniae significatu protulisse, sed ut summam mei promissi compleam, adhuc pecuniae definitio erit addenda, quae est: metallum signarum valorem certum publice habens, ad quod aliae res aestimantur et commutantur.

- a) L. 5. 178. 222. D. de Verb. Significat.
- b) L. 2. §. 1. C. de constit. pecun. item L. 2. §. 3. D. de reb. credit.
- c) L. 7. §. 3. D. de SCto Maced.

## §. VII.

Propius iam ad caput rei accedens; statim me ad indagationem huius quaestions accingo; an sub legato pecuniae eriam veniant monetae rariores aut in cuiusdam rei memoriam excusae, quae sermone patrio nomen der Medaillen, Schaupefsemminge, subeunt? In hac soluenda quaestione omnium primo videndum est, num certa pecuniae quantitas aut qualitas sit determinata, nec ne? Priori casu res perspicua est et inter omnes constat. Namque heres id praestare debet, quod legatum est. Quod si autem quid legatum est sine omni determinatione, e. g. Si testator dixerit: *omnem meam pecuniam do, lego Sempronio*, tunc res altioris indaginis est, et ad hunc casum nostra spectat quaestio. Quam tamen, ut affirmem potius, quam negem, duplici argumenti genere commoueor. Prioris loco est quaestio: num eiusmodi moneta sit quoque species pecuniae? et hoc omnino est affirmandum. Dixi enim in §. praeccd. pecuniam omne aes signatum sub se comprehendere, inde quoque monerae rariores eximi plane nequeunt. Verum enim vero ipsum mihi ius Romanum succurrit, sic enim lex disponit a): *Si autem AURUM vel ARGENTUM SIGNATUM legatum est, id paterfamilias videtur testamento legasse, quod eius aliqua forma expressum est; veluti, quae PHILIPPI sunt, itemque NUMISMATA et similia.*

- a) L. 27. §. 4. D. de aur. arg. legat.

## §. VIII.

## §. VIII.

Quæstioni in §. anteced. morae addo exceptionem, in quam aliquam considerationem intendere lübet. Namque ponamus defunctum collectionem numismatum, sub nomine Münzabinet, habuisse, an haec quoque legatario cedar? Dissentio ob rationes sequentes. Eiusmodi numismata ob aliud et plane diuersum finem sunt comparata; pecunia enim non vitimur, nisi erogandi eamque cum aliis rebus commutandi causa. Dicas, etiam monetae rariores, ob primum quoddam affectionis aut in cuiusdam rei memoriam a defuncto hucusque seruatae, minime sub nomine pecuniae uenire possunt. Bene, sed dentur legatario laute hilareque viventi, videbimus, num ille id quoque obseruet. Licer enim aliis eas colligant, multi tamen expendunt, aut cum alia pecunia commutant. Longe aliter vero res se haber, cum collectione numismatum. Quæ non solum inferuit historiae, sed etiam multis aliis in rebus usum haber singularem, vbi vis ab eruditis explicatum, ex quibus EZECH. SPANHEMIUS a) et LUDOV. DEBELIUS b) legi merentur. Vtilitati vero adhuc addenda est iucunditas, si selectos perlustramus nummos et inde oculis varias res subicimus, quas animus ex historia aut descriptione non satis percipere potest.

a) De usu et praestantia numismatum.

b) De utilitate rei nummariae.

## §. XI.

Quid vero, si testator pecuniam numeratam legavit? Haec quæstio nec simpliciter affirmanda nec neganda erit. Aliud enim dicendum est, si testator qualitatem pecuniae exprefserit, aliudque si hoc facere omiserit. Dixi iam in §. vii. rem extra omnem dubitationis aleam positam esse, si testator qualitatem aut quantitatem determinauit, inde hic priorem casum iniudicatum relinquere possum. Sed quod ad secundum attinet, sic nempe testator pecuniam, nulla qualitate determinata,

## XII

nata, legauit, eius decisionem Juri Romano committam a). Quod autem declarat, quod in dubio semper pro minori praefumtio sit facienda, seu illi nummi promissi videantur, qui exiguiores sunt. Quae sententia etiam STRYCKI adfensione comprobata est b).

a) L. 75. de legat 3.

b) In VI. Modern. Lib. 34. T. 2. §. 3.

## §. X.

Ad maioris momenti quaestione nunc transiit facere licebit, quae ita se habet: in quo pecuniae genere legatum ab herede sit praestandum, si post testatoris mortem moneta, in qua legatum datum est, mutata fuit? Hanc quoque sine distinctione adire non audeo. Namque si testator indistincte nummos legauit, in primis ultima eius voluntas inspicienda ac huius menti, ut conjectura proprius accedamus, elaborandum est. Inde ut VLPIANUS dicit a) et mens patris familias et legatarii dignitas vel caritas et necessitudo: item carum quae praecedunt, vel quae sequuntur summatim scripta sunt spectanda. Quod si autem ex his omnibus nil certi coniuci potest, refero me ad §. anteced. vbi iam demonstratum dedi, quid dicendum, si testator pecuniā absque vlla determinatione reliquit.

a) L. 50. §. 3. D. de legat et fideicom. I.

## §. XI.

Restat adhuc altera huius quaestione pars, quae longe ab illa est diuersa. Ponamus: Caius graui iam morbo laborans, at haud immemor carissimi sui nepotis, in academia iam viuentis, haec verba testamento suo inseri iubet: nepoti meo dilectissimo lego sexcentos thaleros, quos in arca mea inuenier. Hic ergo non tantum quantitatē nummorum, sed definitum quoque locum adiecit.

adiecit. Attamen heredem, qui se audire meminit, in collybo  
nil esse detrimenti, cupiditas incedit, hanc monetam legatam  
commutandi cum alia. Rebus autem ita comparatis, huic non  
licet nummos legatos cum vilioribus permutare. *Nam si certos  
nummos inquit PAPINIANUS a), veluti quos in arca habet aut certam  
lancem legauit: non numerata pecunia, sed ipsa corpora numorum  
vel rei legatae continentur, neque PERMUTATIONEM recipiunt &c.*  
Adeoque, si genus nummorum post mortem testatoris mutatio-  
nem subit, ac valor eius decrevit, damnum est penes legata-  
rum, quoniam rei legatae dominium statim post mortem testa-  
toris ad legatarium deuolutitur b). Modo caueat heres ne moram  
villam commiserit, haec enim damnum ac periculum transfert  
in morosum c).

a) L. 51. D. de legat i.

b) L. 80. D. de legat ii. L. 23. D. de Reg. Jur.

c) L. 23. D. de legat et fideicom. i, item L. 82, §. i. De de Verb. Oblig.

### §. XII,

Alio nunc sermonem transferam. Hic testator certum  
monetae genus legatario praestandum, determinauit. Laetus  
heres, iam diu quasi lupus esuriens, opimam hereditatem expe-  
ctans, scrinia et armaria peruestigat, sed, pro dolor! ille ne  
dimidium quidem pecuniae legatae inuenit, ad haec eiusmodi  
generis pecunia iis temporibus iam rarissima est; quid huic con-  
fusatam? Praefet legatum et quidem sequentem in modum.  
Quantum monetae legatae a defuncto reliqua, heres collegit,  
legatarii fiat necesse est. Quod autem huius monetae heres  
confidere nequit, id comparare tenerur, atque aestimatio valoris  
nec pluris nec minoris facienda est, quam ea tempore conditi  
fuit testamenti. Ex his modo dictis satis manifestum est; lega-  
tum semper praestandum esse secundum valorem facti testamenti.  
Porro, si eiusmodi monetae a testatore relinquuntur, runc heres  
secundum valorem, quem tempore conditi testamenti habuerunt,

## XIV

praestare debet. Quod sie vero non inueniuntur ea ab herede  
sunt comparanda a). Testator enim legatum in certa moneta  
relinquens sine dubio valorem eius praesentem respexisse videtur.

a) L. 9. 35. i. §. 1. D. de aur. arg. legat.

## §. XIII.

Alius iterum se mihi offert testator, qui in genere certam  
quantitatem legavit, neque qualitatem expressit, sed heredi  
imposuit, ut legatum secundum aestimationem praefitet, quae  
foret post testatoris mortem. Num hic in exsoluendo legato  
ad tempus mortis an conditi testamenti respiciendum est? Qua  
de re meum iudicium paululum adhuc differam et Scenulac  
audiam sententiam. Huic enim istiusmodi quaestionem oblatam  
esse, illa legum Romanarum collectio perhibet. Vbi cuidam a  
Titio fundus, ut erat instructus, legatus est. Post quoddam  
temporis spatium, Titius vitam cum morte commutat. Quo  
facto legatarius fundum perit; heres autem multas res, post  
factum testamentum fundo illaras, auferre ac sui facere cupit.  
Sed legatarius, se id nunquam ei concessurum ac largiturum  
esse dicit. Adeunt igitur iudicem, qui ita fert indicatum: *ea,  
quibus instrutus sit fundus secundum verba legati, quae sint in  
eadem causa, cum dies legati cedat, instrumenti contineri a).* Ex  
his verbis argumentum duco, quod praecipue verbis testatoris  
standum sit, quia eius voluntas semper pro lege est habenda.  
Si igitur testator in ea moneta legatum solui iussit, quae post  
mortem suam esset, sentio, legatum ad monetam probam et  
usualem esse praestandum. Hoc enim voluntati testatoris  
maxime consentaneum esse videtur. Ad corroborandam meam  
sententiam quam plurimum quoque iuabit adductio legum ad  
hasce literas adnexarum b).

a) L. 28. D. de instruct. et instrum. legat.

b) L. vlt. §. 1. de legat. II.

L. 28. D. quando dies legat.

L. 14. §. 2. D. de alim. et cibar. legat.

## §. XIV.

## §. XIV.

Tandem adhuc quaestio habenda est de cerra specie nummorum legata, non amplius existente. Iterumque se mihi adiutorem praefat! Crissimus ille Scaeuela, cuius verba haud parum ad vteriorem argumenti mei probationem faciunt. *Medico suo, inquit a), conrubernali et communium expeditionum comiri, ita legaverat:* Argentum viatorum meum dari volo &c. Ex demonstratione MEUM iam manifeste appareat, quod restator praesens tempus indicare voluerit b). Sed Scaeuelae sententia idem denuo confirmat; ita enim respondit: *Quod habuisset argentum viatorum eo tempore, cum refamenum faciebat, deberi.* Recte igitur ratio temporis conditi testamenti habenda est, nulla enim subest causa, quae testatorem, cui tamen, legatario beneficium conferendi, animus fuit, commouere potuisset, vt aliter dixerit ac sentiebat, ac praeterea saepius iam dixi, verbis ultimae dispositionis inhaerendum esse; sed quid multa? species pecuniae legatae non amplius existit, et legatum inde in alia moneta solvatur necesse est. Legatario autem damnum exinde natum iniungere, contra ius fasque forer. Nihil igitur acquirati magis responderet, nihilque legibus tam consentaneum esse videatur, quam si heres ita praefat legatum, vt legatarius indemnis ferueretur. *Quod si ergo monera legata adeo comparatu difficile est, vt nullibi reperiri queat, heredem eam ex pretio, quod tempore testamentificationis fuit, aestimatam, soluere oportet c).*

a) L. 40. pr. D. de aur, arg. legat,

b) L. 7. D. eod.

c) L. 9. D. h. l.

## §. XV.

Hactenus ea ex Jure Romano attuli, quae ad determinandam solutionem pecuniae legatae faciunt, nunc autem, quo ad finem instituti progrediar, adhuc restat, vt paucis inquiram, quid

## XIV

quid patria iura hac de re disposuerunt. Ex quibus sine ullo negorio cognosci potest, ea à Jure nostro communi parum abhorrere, sed potius rationi ac aequitati maxime congrua, praeclare sancire: ut, aucto monetae valore nihil tamen heredi, cui legitima est relicta, detrahatur; sed semper ad tempus conditi testamenti sit respiciendum. Melioris autem probationis gratia, ac corronidis loco, totum ex hujus loci Statutis Articulum adiungam a), qui sequentis tenoris est: Wann auch aus einem Testamente, Codicill, einer Uebergabe auf den Todesfall gerichtet, oder dergleichen letzten Willen, Goldgulden, Thaler, oder andere grobe Münze bezahlet werden müssen, und der Debitor nicht in mora soluendi gewesen ist: So soll die Zeit des gemachten letzten Willens angesehen, und die Münze nach dem Werth, welchen sie zur selben Zeit gehabt, bezahlet werden. Es wäre dann, daß etwas an stat der legitimas verlassen, und vor dem Zahl-Termin Endzung der Münze erfolget. Auf den Fall soll von dem Debitore, wofern die Münze gestiegen, das augmentum oder Zuwachs nicht abgezogen, da sie aber gefallen, das decrementum oder Abgang erfüllt werden. Scrib. Hamb. M. Decembr. MDCCCLXIII.

a) *Vid. STATUTA HAMBURGENS. Part. II. Tit. I. Art. 16.*



**ULB Halle**  
003 742 423

3



f

TA → OL

nur 1+3 Stück verknüpft





B.I.G.  
Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Blue  
Centimetres  
Inches

DISSE<sup>1349</sup>  
TATIO IURIDICA  
DE  
EO QUOD IUSTUM  
EST CIRCA  
LEGATUM PECUNIÆ  
VALORE MONETÆ POST TESTAMEN-  
TUM CONDITUM MUTATO  
QUAM  
PRO  
SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS  
CONSEQUENDIS  
ILLUSTRI IURECONSULTORUM HELM-  
STADIENSIVM ORDINI  
HUMANISSIME OFFERT  
TIM. ERNEST. LUD. ORLICH.

POTENTISSIMI BORUSSIAE REGIS SECRETARIUS  
INTIMUS.

---

HAMBURGI  
EX OFFICINA HARMSENII.